

tum hunc modum motionis moralem, qui pertinet ad suasionem, et illustrationem non excedit vim legis et doctrinæ, quam etiam fatebatur Pelagius, ut late disputatione tertia tractatum est: semper vero remanet voluntas insufficienter mota a talibus objectis, et suasionibus, et debet indifferentiam illam circa res propositas determinare et vincere. Et de hac determinatione est punctus difficultatis, quomodo illam causet Deus et intendat ultra suasionem et omnem moralem motionem, quæ non sufficit determinare infallibiliter liberam voluntatem. Tum etiam, quia omnes istæ motiones suasoriæ, et moraliter inclinativæ voluntatis, non sufficiunt ad intendendum quod voluntas se determinet, nisi precario, sicut potest etiam alter homo vel Angelus intendere me inclinare ad aliquid volendum, et hoc negotiatur blanditiis, suasionibus, minis, argumentis, etc. Quod totum est intendere determinationem meæ voluntatis per media extrinseca allicientia, vel terrentia, et dependenter a voluntate, quæ de se est superior omnibus istis mediis, nec ab aliquo plene et sufficienter moventur. Si ergo Deus sic solum intendit determinationem voluntatis, scilicet mediis creatis eam inclinare, et cum dependentia ab ipsa, valde imperfecte habet talem intentionem, scilicet ambiendo, alliciendo, et precando a voluntate, sicut homo movet hominem, non ut Deus creaturam. Quid imperfectius? Et mirum est quod Deus, qui omnibus istis mediis dat virtutem inclinandi voluntatem, dando illis perfectionem qua ipsam moveant, in se ipso non habeat majorem vim movendi voluntatem libere, cum sit auctor libertatis ejus, nec possit uti erga voluntatem ut libere se moveat actione aliqua divina, sed allicientia cre-

ata? Et creaturæ omnes libertatem salvant in movendo, solus ejus auctor si per se ipsum moveat, destruit illam? Et jubemur credere hanc grandem de Deo æstimationem, et celsitudinem.

VII. Secundum inconveniens contra ista decreta indifferentia deducitur ex complicatione, et insuperabili difficultate qua premuntur adversarii in declarando quomodo hoc decretum indifferens determinetur ad concurrentem cum voluntate pro consensu magis, quam pro dissensu ex illis duobus quæ offert ad utramque partem: quid item correspondeat in re ex parte creatæ voluntatis terminans decretum illud quatenus indifferens, eique prout sic correspondens. Quod ultimum urget valde illos qui non distinguunt decreta Dei, nisi connotent diversam mutationem realem in creaturis ad extra. Non invenitur autem quæ mutatio resultet in creatæ voluntate, et oblatione duplicis concursus indifferentis: nusquam enim ponitur in re uterque concursus, sed unus determinate. Unus autem non adæquat totum quod amplectitur decretum indifferens, qui duplicem offert et respicit. Unde cum hi auctores non inveniant quid connotet decretum illud in quantum indifferens quoad mutationem realem in creatæ voluntate, quia ibi non ponit immutationem, nisi secundum determinatum concursum alias determinata immutatio non esset, recurrunt ad immutationem valde extrinsecam, videlicet ad revelationem aliquam, vel promissionem, aut pactum quod Deus facit de concurrente sic cum creaturis, excepto si in aliquibus casibus voluerit ipse suspendere concursum suum. Quod totum præcedenti articulo satis refutatum manet: hæc enim sunt connotata alterius decreti de revelando, aut promittendo, non

illius de offerendo duplicem concursum.

VIII. Cæterum, quia nec omnes ex oppositis auctoribus admittunt requiri ad decreta divina distinguenda diversam connotationem secundum mutationem realem creaturarum, ideo non multum urgeamus hoc inconveniens. Sed insistimus in illo alio inconvenienti, quomodo resolvatur seu determinetur hæc indifferentia decreti divini? Nam constat decretum illud indifferens de duplici concursu oblato ad utrumque extremum, v. g. ad amorem et odium, consensum et dissensum, non posse concurrere in re, et de facto secundum illam indifferentiam, sed secundum partem determinatam, v. g. ad determinatum assensum vel dissensum in singulari. Quomodo ergo fit determinatum ad unum partem, ita ut si denegaret Deus concursum ad illam partem, et daret pro alia, esset miraculum, aut violentia quædam illata causæ creatæ? Nam communiter dicitur Deum indifferenter offerre concursum suum pro utraque parte voluntati, et determinate concurrere ad illam partem ad quam se voluntas inclinaverit. Hoc autem sub hac specie verborum facile dicitur, præsertim apprehendendo Deum ut causam particularem, et partialem tantum cum voluntate nostra; et procedit imaginatio ad hoc, ut non amplius de Dei causalitate æstimet, et virtute, quam de duobus portantibus lapidem, quorum unus expectat alterum, non illi illabitur, aut principium, et radix ejus est, ut ipse suam partialem operationem eliciat. Et ita modus iste considerandi et philosophandi imaginationi speciosus est. Cæterum rationi valde invisus, si transcendens imaginationem conetur apprehendere (id quod verissimum est) Deum nullo modo esse causam parti-

cularem tantum, nec ita cooperari creaturæ suæ, quin etiam illabatur illi, detque illi virtutem et motum, et se habeat tamquam radix, et principium illius operationis pro ea etiam parte qua egreditur a creatura multo magis quam ipsa anima sit principium, et radix potentialium suarum, et operationum ab ea egredientium; quia est principium dandi illi animæ, et potentiis esse, et virtutem, et motum, ergo est etiam radix ipsius operari, ut egreditur a causa creata. Consideremus autem, quod si duo homines vellent portare lapidem, et unus illorum haberet virtutem suam dependentem, et derivatam ab alio in fieri, et conservari, multo magis quam ab anima sua, et quod talis non posset suam partialem operationem elicere, nisi alter intra ipsum illaberetur, et animæ ejus, atque potentiis præberet esse, et virtutem etiam ad suam partialem cooperationem eliciendam, et cum ipsa cooperatione ejus etiam simul influeret in effectum propter dependentiam effectus a se, quid judicarem de tali homine portante simul lapidem cum altero, et quomodo diceretur expectare alterius cooperationem, cum potius deberet eam causare? Et tamen vix in hoc explicamus summam dependentiam quam habet quælibet causa creata a Deo in operando etiam suum particularem aut partialem influxum.

IX. Hac ergo consideratione stante quæ nullatenus negari potest durissimum est ratione explicare, quod Deus offerat duplicem concursum voluntati ad consensum vel dissensum, et quod ad dandum determinate concursum pro una parte, v. g. pro consensu, expectet quod voluntas se determinet, quæ determinatio (quidquid sit) debet voluntati provenire, et superaddi sine concursu Dei determinato, quia ad hoc re-

quiritur ut concursus Dei determinetur. Non negamus quod Deus proponat voluntati et arbitrio ejus eligendum id quod maluerit, sicut dicitur Ecclesiast. xv: *Deus reliquit hominem in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepit; si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit, tibi aquam, et ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Sed hoc non ita intelligendum est, quasi Deo offerente objecta quæ homo voluerit, et concursus ad appetendum illa, non maneat occulte ut prima causa, et radix atque principium omnium operationum subministrans esse et virtutem, et omnia ad eliciendam operationem etiam partialem necessaria, quia si reliquit hominem in manu consilii et arbitrii sui, hoc arbitrium, et hæc voluntas est radicata in anima, ut propria ejus passio, et tam voluntas quam anima habent pro radice et principio Deum, non pro principio formali, quasi sit forma, sed agente, quia portat omnia verbo virtutis suæ. Et sic reliquit hominem in voluntate sua dependente ab anima sua, quæ est radix per modum formæ, et a Deo suo qui est radix per modum primi agentis, et ita non potest homo determinari, nisi per animam et per Deum, cum sit ejus principium.

X. Reducitur ergo difficultas ad illas angustias quas expendimus articulo præcedenti. Quid est illud, si voluntas creata elegerit, et se determinaverit ad hanc partem, Deus determinabit talem concursus ad eandem partem? Quid est illud, si voluntas creata determinaverit? Estne aliqua determinatio in actu primo et antecedenter ad operationem superaddita ipsi indifferentiæ potentiæ, quo posito Deus determinet absolute decretum suum ad illam partem in quam inclinatur ille actus primus, an est aliqua determinatio

per modum ipsiusmet operationis et actus secundi, quasi incipiente jam operatione partiali voluntatis Deus succurrat, et addat suum concursus determinate pro illa parte? Utrumque articulo præcedenti late rejecimus. Non est actus primus, quia nec est habitus superadditus, cum non semper operemur ex habitu, et ille quando datur, indifferens etiam est, sicut libertas. Non est actus, quia si est actus productus ab ipsa voluntate, de illo redibit difficultas quomodo producitur a voluntate sine determinato concursu, aut quis determinavit concursus. Si autem est actus receptus in voluntate, et per modum auxilii, non potest esse determinatio physica, quam isti auctores non recipiunt: erit ergo sola vocatio congrua, aut auxilium indifferens, et tunc non solvitur difficultas, sed magis ligatur, quia auxilium indifferens non potest determinare divinum concursus indifferenter oblatum ad unam partem magis quam ad aliam, sicut neque vocatio congrua determinat ante ipsum consensum a quo desumit efficacitatis denominationem. Itaque voluntas determinans se in actu primo, sive actus primus ponatur habitus superadditus, sive actus aliquis productus ab ipsa voluntate, sive auxilium aut motio a Deo impressa, nihil dicitur quod sufficienter determinet ipsum decretum indifferens et concursus ejus ad unam partem efficaciter, cum hæc omnia quæ pertinent ad actum primum antecedant cooperationem, et consensum voluntatis, ante quem semper potest resilire voluntas, et sic semper manet integra indifferentia decreta.

XI. Si vero dicatur quod illa indifferentia decreti solvitur, et Deus determinatum concursus præbet ipsi voluntati, si ipsa determinaverit

in actu secundo, ita quod jam sit operatio in actu secundo cum resolvitur indifferentia decreti, est incidere in peiora inconvenientia. Nam actus ille secundus quo se determinat voluntas, est ille qui identificatur concursus divinus, et sic idem est: dicere si voluntas se determinaverit concurrat determinate, ac dicere: si ego concurrat determinate, concurrat, quæ est intolerabilis barbarologia talem actum in Deo ponere. Et sequela patet, quia quando Deus offert indifferentem concursus, taliter determinandum et si voluntas se determinaverit, clarum est quod non determinabit Deus concursus quousque purificetur in re illa conditio, et consequenter voluntas creata habeat determinatam operationem in actu secundo, sed operatio in actu secundo non egreditur a voluntate nisi etiam egrediatur a Deo, et egredi a Deo est per concursus simultaneum: ergo operatio in actu secundo respectu voluntatis identificatur cum concursu divino, ut præcedenti etiam articulo ponderatum est, et quomodo hic non possumus confugere ad diversas prioritates naturæ, ita quod sub una intelligatur creatura se determinare, et sub alia Deus concurrere, ibi ostendimus. Et ulterius urgeri potest, quia illud instans seu prioritas naturæ non est aliud quam prioritas dependentiæ, et respectus, non exercitii seu existentie: consideramus enim dependentiam creatæ operationis a sua causa proxima creata, nondum intellecta dependentia a Deo, vel e contra, non tamen exercetur ista dependentia, nec datur in re sine dependentia a Deo: ergo si Deus decernit determinare concursus suum, si se determinaverit voluntas pro quo aliquo instanti naturæ, non autem pro instanti existentie: ergo antequam existat in re determinatio voluntatis cre-

atæ, Deus determinat concursus suum: ergo in re, et quantum ad existentiam solvitur indifferentia decreti divini, et redditur absolutum, et determinatum efficaciter, ante quam existat in re determinatio voluntatis; et consequenter etiam ab æterno potest esse determinatum, et absolutum sine læsione libertatis, quia si ante instans existentie determinationis voluntatis datur decretum absolutum, et efficax concurrere cum illa, et non lædit ejus libertatem, cum in suo instanti durationis concurrat, erit, etiamsi multis antea instantibus esset determinatum decretum ad concurrendum: nam hoc ipso quo determinatum est ante existentiam determinationis meæ est determinatum antecedenter, et non potest non rapere secum voluntatem, quia frustrari non potest decretum efficax efficacia antecedenti, vel argumenta quæ fiunt contra efficaciam antecedenter determinantem carent vi. Quare vel indifferentia decreti, et concursus pervenit usque ad instans intrinsecum in quo existit actus, et operatio voluntatis creatæ, vel ante illud instans solvitur, et redditur determinatum efficaciter pro altera parte, v. g. pro consensu. Si primum, currit argumentum factum, quod existit operatio determinata voluntatis existente adhuc influxu Dei indifferenti, quod est idem ac nondum concurrente, quia non potest influere in re in actum determinatum stante indifferentia, sed soluta, et ex alia parte jam existit determinatio voluntatis in actu secundo, quæ identificat sibi concursus determinatum Dei, quæ est manifesta complicatio. Si secundum, datur decretum efficax antecedens nostrum consensum, quia antequam existat et egrediatur a sua causa consensus decretum efficax est: ergo rapiet secum voluntatem, et currunt om-

nia quæ ipsi auctores oppositi obijciunt contra prædeterminationem antecedenter efficacem.

Quod etiam ex hac positione sequatur destructio scientiæ mediæ, præcedenti articulo satis ponderavimus.

XII. Tertium inconueniens decretorum indifferentium est, quia sequitur ex illis Deum respectu cooperationis liberæ, et consensus, qui a nostra voluntate procedit, et cui simul cooperatur, non habere tantum dominium, et tam plenam causalitatem, et virtutem, sicut respectu aliarum actionum, et effectuum, quæ vel procedunt a solo Deo, vel ab aliis causis non liberis. Consequens est omnino absurdum, et non amittendum, ergo et antecedens. Minor manifesta est, quia in quamlibet rem creatam, hoc ipso quod ens creatum est, habet Deus summum jus, et ipsa res creata summam dependentiam a Deo, et de ipsa, et in ipsa facit quidquid voluerit, et quidquid in illa creatum est, ab ipso Deo participatur, et originetur; sed cooperatio, et consensus liber, etiam in ratione liberi, et prout egrediuntur a voluntate creata, sunt aliquid creatum, quia ratione necessarii, vel liberi in causis creatis non sunt aliquid fictum, et in re nihil; cum præsertim libertas fundetur in potestate perfectiori, et ampliori creaturæ spiritualis, cui soli convenit agere libere, supponendo tamen ex parte intellectus considerationem indifferentem, sicut omnes actus appetitus, et voluntatis cognitionem supponunt, ut dirigentem se; ergo absurdissimum est minorem causalitatem, aut dominium ponere in Deo respectu istarum operationum liberarum, quam respectu aliarum causarum. Aut si ratio liberi in his cooperationibus censetur esse aliquid rationis, et propterea non reducitur ad primam causam, ut Vasquez sentit su-

pra citata disput. xcix, cap. vii, tamen saltem ipsa entitas cooperationis hujus, quæ subest illi respectui rationis, etiam dum subest, non poterit non reduci ad causam primam? Cum entitas creata fit, ac per consequens ad ipsam entitatem actus, quæ est a voluntate creata, dabitur in Deo causalitas antecedens, et efficax, sicut ad alias entitates creatas, cum tamen etiam multæ ex illis habeant adjunctam aliquam negationem, aut privationem, vel aliquid aliud ens rationis, ut tempus, seu motus habent respectum ad partes præteritas, et futuras transeuntes, qui aliquid rationis est. Si autem Deus efficaci decreto, et antecedenti causat entitatem cooperationis liberæ, hoc sufficit nobis: nam posita illa entitate, ille respectus qui dicitur rationis, statim consequetur infallibiliter.

XIII. Restat probare majorem hujus syllogismi, in qua est difficultas. Et facile probatur, quia in aliis causis non liberis etiam invenitur cooperatio cum concursu Dei, et Deus ita dominatur illis, et illæ ita dependent a Deo, quod Deus non expectat determinationem earum, sed causat illam, et efficaciam antecedentem habet in talium causarum cooperationem, ut non negant oppositi auctores. Respectu autem causarum liberarum, non est Deus radix, et principium illius cooperationis, quasi antecedenter movens causas illas, ut cooperentur sibi, sed offert concursum ad utramque partem, prout elegerit et determinaverit voluntas: ergo respectu hujus, quod est voluntatem determinare unam partem ex illis ad quas Deus offert concursum, non habet Deus dominium, et jus causativum in voluntatem creatam, sed voluntas creata est extra jus Dei, et in hoc minus dominii habet in voluntatem creatam, quam in reliquas causas

non liberis. Patet hæc consequentia Ille habet dominium expeditum, et perfectum in aliquam rem, qui potest re illa uti sicut voluerit, et quando voluerit, et ille habet summum dominium quod summa independentia a quocumque alia potest uti re sua, et sub ejus dominio posita: sed Deus non potest uti voluntate creata ad hoc ut libere se moveat, et juxta proprium modum suum ex vi sola indifferentis concursus oblatis, quia indifferens concursus quamdiu non determinat indifferentiam suam, nihil operatur, nec expedite se habet sub illo statu indifferentiæ. Et a voluntate Dei non derivatur hujus indifferentiæ resolutio, sed expectatur a voluntate creata: ergo ex vi voluntatis divinæ a qua derivatur omne quod est in creatura, non habetur sufficiens et plenum dominium ad utendum creata voluntate ut libera, sicut ipsi placuerit, sed quando voluntas creata voluerit, atque adeo non est summe independens illud dominium in utendo re sua, cum tamen, ut ex Augustino diximus libro de correptione et gratia, c. xiv: «Magis habet Deus in manu sua voluntates hominum, quam ipsi suas.» Quomodo autem magis habet, si id quod ipsa voluntas creata facit, scilicet se determinare, et determinare concursum indifferentem Dei, Deus non potest facere, sed a voluntate nostra expectare? Ergo in resolvenda indifferentia concursus, non est Deus expediti dominii, et juris, sed dependenter a determinatione humana, et sic quoad resolvendam indifferentiam divini concursus, et consequenter quoad operandum de facto, (quod sine determinatione concursu fieri non potest) magis habet homo in manu sua voluntatem suam, quam Deus, quæ est contradictoria B. Augustini.

XIV. Non latuit oppositos auctores ratio hæc, et ideo præcipue in

illam conspirasse videntur: nolunt enim concedere quod efficacia ista sit ex dominio quod divina majestas habet in voluntates hominum, sicut et in cætera omnia quæ sub cælo sunt. Unde videntur dominium Dei, et plenitudinem ejus, quo omnia quæcumque vult facit, sic dividere, quod non sic habet dominium sua divina majestas in nostrum liberum arbitrium, ut libere velit, quam in alias res non liberis, ut operentur. Quod certe mirabile est, cum dominium Dei æqualiter, et eodem fundamento fundetur in ordine ad creaturas liberis, quam ad naturales, quia scilicet tam istarum, quam illarum creator est, et summo jure, et independenti omnino utitur in omnes, non lædendo cujusque proprium modum, sed servando et derivando ex se. In hoc autem nihil nos imponimus, sed exhibemus ea quæ referuntur in xxxviii congregatione, quæ fuit prima coram Paulo v. et jam supra disp. iii, tacta sunt. Ubi cum ageretur de quodam scripto felicis recordationis Clementis viii, per quindecim capita distributo, p. Vastida dixit se prædictum scriptum communicasse cum omnibus patribus ex societate per diversas provincias dispersis, cum Hispanis, Italis, Gallis, etc. et ex omnium sententia hæc quæ sequuntur dicere atque proponere, quæ et his duabus conclusionibus continentur.

XV. Prima, se admittere omnia quæ in prædicto scripto continentur esse de mente S. Augustini, id est, esse doctrinam conformem doctrinæ S. Augustini sive formalibus, sive æquivalentibus verbis, excepto uno tantum quinto capitulo, et exceptis quæ in eo dicuntur. Quintum autem capitulum quod exceperat, tale est: «Hæc gratia habet suam efficaciam ab omnipotentia Dei, et a dominio quod sua divina majestas habet in voluntates hominum, sicut et in